

M P V I

1 6 3 1

Ny
3027



- I. Epithalamia mihi M. Iera conscripta.
- II. Elegia dua mihi et Collegis meis in Senatu conscriptae.
- III. Nuptiis Johannis Grubii et Charitatis Hirscheriana conscripta Caermina.
- IV. Nuptiis Petri Matthaei Wesenbecii et Sarae Osterosia.
- V. Nuptiis Valerii Ruchgeri et Dorotaea Mariae ab Enden.
- VI. Nuptiis Johannis Hamelii et Magdalenae Hulderiana.
- VII. Gratulatio Johanni Fabrius Consuli et Collegis.
- IIIX. Nuptiis Andreae Woltzei.
- IX. Leisepredij L. M. Casparo Ulrich Angelen.
- X. Nuptiis Dn. Rudolphi Principis Anhaltinae et Comitissa in Oldenburg.
- XI. Nuptiis M. Caroli Jacisii.
- XII. ~~Leisepredij~~ L. M. Casparo Ulrich Angelen.
- XIII. Nuptiis Frederici Hamelii.
- XIV. Nuptiis Matthaei Woltzei.
- XV. In Obitum Dorotaea Hagen Dn. Wendelini filio.
- XVI. Propemptica Dn. Martino Fuschio scripta.
- XVII. Nuptiis Dn. Johannis Ernesti Eidermanni.
- XIIIX. Leisepredij Amy. Egidij Weyntzer gratulatio.
- XIX. Propemptica Dn. Johanni Sturmio scripta.
- XX. In Honorem Magistrum Frederici Steffonis et Ernesti Wulstoppii.
- XXI. Leisepredij L. M. Johanni Brendelio gratulatio.
- XXII. Nuptiis Dni Frederici Grubii.
- XXIII. Leisepredij J. Ernesto von Lotzham gratulatio.
- XXIV. Gratulatio ad Dn. Rudolphum Principem Anhaltinum de filio nato Johanne.
- XXV. Nuptiis Johannis Mutii.
- XXVI. Leisepredij Amy. Dorschii Eisdorf Valerii Wulstoppii gratulatio.
- XXVII. Ad Dn. Augustum Homagii accipiendi causa Erwig in ingressu.
- XXIIIX. Nuptiis Ottonis von Jörn.

HONORI ET CELEBRITATI
NUPTIARUM ORNATISS.

DOCTISSIMIq; JUVENIS,

DN. IOHAN-
NIS HAMELII, LL. STV-

diosi, ducentis in matrimo-
nium

*Virginem honestissimam pudicif-
simamq;*

MAGDALENAM.

Reverendi & Clariss. Viri

M. CASPARIS HULDERICHI,
Pastoris & antistitis Ecclesiæ apud Ser-
vestanos, atq; illustris Gymnasii Pro-
fessoris & Inspectoris di-
gniss. F.

*Carmina fausta & felicisq; appreciationis
ergò nuncupata à collegis, amicis, & discipulis,
quorum suum cuiusq; versibus nomen
est adscriptum.*

Servestæ, typis Zachariæ Dörfferi, Anno 1610.



VOTVM PARENTIS.



*Utore & fautore, tibi dum, filia, castas
Accendis tædas, est opus! Ipsa DEI
Provida mens casti est thalami castissimus
author:*

*Præstantùmq; favent en tibi vota virum.
O Jesu, fratrum sinceris annue votis,
Addam ad quæ, restat nil, nisi cordis Amen.*

C. U. M.



IOHANNI HAMELIO
ET
MAGDALENÆ HULDERICHÆ,
CONJUGIB. LECTISSIMIS,
νεογάμοις,
Bona, fausta, & felicia, cum suis, tum Psalmographi
verbis apprecatur
GREGORIVS BERSMANVS.

Non est pangendis mea versibus aptior
ætas, (choris.
Quàm pes ducendis præstat uterque
Quisquis es, hinc ergò Bersmanū poscere carnē
Define: quid glabram vellis, amice, volam?
Aut quid, ab aridulo laticumq; liquoris egeno,
Quæris Hyantæi, pumice, fontis aquam?
Solvit equum vector, sero quàm languidus ævo
Ridiculum Circo præbeat ille jocum.
Herculis & suspensa tholo, gladiator in æde,
Emeritis figit viribus arma, senex.
Et mihi tempus, equūm fumantia solvere colla,
Est modò, & attritæ ponere plectra lyræ.

A 2

Anno-

Annorum decadas post ætas jam mihi septem,
Et tres auctumnos, fata morante Deo.
„ Omnia fert ætas, facies bona carpitur annis,
„ Annis ingenii visq; vigorq; perit.
Sic nervi me deficiunt, roburq; juventæ,
Ingenii friget spiritus atq; seni.
Ne tamen officio videar non functus amici,
Oblitusq; vicem judicer esse patris:
His, ô Sponsa, fatu doctiq; piiq; parentis
Clara, tuum votis omnibusque torum,
His donoq; tuum præstanti laude maritum,
Alite, cui nubis tu bona virgo, bonâ:
Vota fero, votis Deus annuit: impleat omen
Nominis ille sui, tu patris, opto, tui:
Johannis Sponsus, Huldreichæ nupta fruatur
Nominis! auspicio sospes uterque sui.
Copulet unanimis vos gratia, jungit ut ambos,
Conjugio fausti nominis, omen idem,
Germine florentes palmæ, nitentis in auras,
Et cedri, quæ fert celsa sub astra caput.

PSAL.

PSAL. XCII.

Bonum est confiteri Domino, &c.

GRATIAS DEO AGIT PRO
MIRIFICA ECCLESIAE GUBERNA-
tione, quam impiis quantumvis florentibus, piis
verò afflictis ac paene oppressis, singulari bonitate conser-
vat, atq; illis quidem iusto suo iudicio tandem deletis, hos
inter afflictionum molem, palmæ instar, exaltatos, cru-
daq; ac viridi senecta ad extremam usq; ætatem
vigentes, attolit, ad sapientiæ, bonitatis, &
justitiæ suæ laudem & gloriam sem-
piternam.

Expositus metro Choriamb. Anacreonteo tetram. Catalecto.

1 **R**es est (crede mihi) bella, Iehovam
Ad celum merita tollere laude:
Res est bella, DEI, cui nihil æquè
Sublime orbis habet, psallere nomen.

2 Et, seu manè jubar surgat ab ortu,
Seu tollat rediens lumina vesper.
Prolixum venia, perq; benignum,
Veracemq; hominum ferre per ora.

3 Non solum liquida voce canendo,
Sed chordisq; decem, & carmine nabile
Alterno, & cithara dulcè sonando,
Pulsandoq; lyrae fila canora.

4 Mentem latitia pulcra tuorum
Pertentant operum texta, Iehova,
Argumenta manus omnipotentis,
Quæ cernenti animus gestit ovatq;.

A 3

O quam

5 O quàm magna patras, miraq̃ rerum!
O abstrusa tua sensa, Iehova,
Mentis! nemo hominum vincere verbis,
Qua nemo ingenio possit apisci.

6 Quorum notitiam non capit amens,
Nec vim consequitur pectore stulto,
Nec miranda operum perspicit, altum
Qui nil corde sapit, stultus & excors.

7 Qui florere malos, graminis instar,
Nescit, quod viridi manè comarum
Sese pube ferens, vespere squalet
Tostum morbiferi flatibus Austri.

8 Qui nescit, fatuae plebis honore,
Ad rerum hos subito culmina tolli,
Tandem cum subole à stirpe recisi,
AEterno ut pereant interitu omnes.

9 At tu, quod fueras, quodq̃, Iehova,
Nunc es, principii nescius in te,
Ignarusq̃ obitus, semper ab ævo
Idem es, semper eris, trinus & unus.

9 Devota exitio, aterne Iehova,
Hostes, turba, tui morte peribunt:
Deperdetq̃ brevem floris honorem,
Contemtrix superùm, natio vecors.

10 Dum sublime meum tu caput, instar
Cornu, unum quod alit bellua fronte,
Tollis: dumq̃ meam suavè virentis
Succo caniciem tingis olive.

11 Hinc pascens oculus, se meus, hostium
Occasu salit; hinc dira parantum
Detrimenta mihi, dextra ruine
Famà latificà tintinat auris.

Qualis

12

*Qualis pressum oneris palma resurgis
Adversus; Libani filia, cedrus,
Qualis fronde sua tendit ad auras;
Succrescent viridi germine justis.*

13

*In plantaeq; modum, consista in ade
Vernantisq; tuae, sacra, Iehova,
Olim postgenita pube nepotum,
Stirpis flore sua, templa recingent.*

14

*Nec noscent tremulae damna senectae,
Crudo perpetuum robore firmi,
Et succo vegeti membra rigante,
Felicesq; sui fenore fructus.*

15

*Me pracone sciat sera, Iehova,
Aetas te facilem, teq; benignum:
Arcis perfugium qui mihi praebes,
Qui juris modulus es, normaq; recti.*



AD

REVERENDVM ET CLARISS:
VIRVM, DN. M. CASPARVM UL-
RICVM &c. Collegam & compatrem dilectum
& colendum, cum ornatissimo viro DN. JOHANNI
HAMMELIO LL. Studiofo, filiam unicam,
virginem honestissimam, MAGDALE-
NAM, nuptum daret.

U Nici & unius ceu feci in funere lessum
Christiani gnati, vir reverende, tui:

Sic

Sic, desponsata, tibi, de gnata unica & una
Gratans, dico bono nunc bona verba die:
Magdalís ut multa faciat fœcunda parentem
Prole virum conjux, filia te sed Avum,
Exemplârq; tui, vultûq; animôq; nepotes
Te tibi quod reddat, non sine laude gerant:
Ut sint, qui merita celebrent pietate Jehovam,
Et quorum ore Scholæ, pulpita, fana, sonent,
Quos simplex Rectum, quôsq; insuperabile verum
Asserere intrepidus voce stylôq; juvet:
Qui vel perditum eant Christi se nomina propter,
Se præstêntq; domi militiæq; viros.
Sic tua progenies donaverit augmine cœlum, &
Civibus implêrit mœnia magna poli.

M. Iohannes Theopoldus.

AD EUNDEM, CUM PRIVI-
GNAM ELISABETHAM JAMO-
lim nimirum, 10. Junii, anni MDXCVIII.

elocaret reverendo viro Dn. Adamo Stre-
soni &c Ministro tunc temporis Ec-
clesiæ Ballenstetensis.

SI privigna tua est tantæ tibi Caspare curæ,
Ut elocandæ parseris nil sumtibus,
Quid sibi non de te speraverit unica & una
Filiola, quos illexerit non hæc procos?

Ad eundem, de iisdem nuptiis.

LUsonis nuptum datur Elisabetha Stresoni
Adamo: ô junctum par bene conjugii:
Fano mysta pater Sponsi cui præfuit olim,
Ædilís Sponsæ profuit huic genitor.

M. Ioh. Th.



Fato, non casu, fieri connubia certum est,
Sed fatum solus dirigit ipse Deus.
Omnia namq; hominum divina lege reguntur,
Incipit ad nutum, cessat & omne Dei.
Hoc quoq; presentis confirmant fœdera tædæ,
Incendit mirâ quam ratione Deus.
Unica cura Patris nunc Matris sola voluptas
Magdalis Hammelio virgo pudica datur.
O mirum ductum divini Numinis, illum
Quo ducit, claret qui pietate, virum!
O mirum ductum divini Numinis, illam
Quo ducit Sponsam, qua pietate valet!
Ergo, Sponse, vir es felix hac virgine: fato,
Non casu, quam optas, jungitur illa tibi;
Cui pietas primo cum lacte infusa, parentes
Cui sunt, quos virtus rara sub astra levat.
Sic, ceu progenita es præstanti, Sponsa, Magistro
VLRICO meritis & pietate viro;
Seu genus aspicias, seu vitæ munus, opesq;:
Laudato es conjux clara futura viro.
Succedant vestris feliciter omnia captis,
Digne vir hac nupta, dignaq; virgo viro.
Ducite longæ vos animis concordibus annos,
Ac pulcrâ vestram prole replete domum.
Et breviter paucis complectar ut omnia verbis.
Dum canit auratâ pulcher Apollo chely.
Qui vos conjunxit, junctos foveatq; juvetq;,
Provehat, extollat, fulciat, ornet, amet.

Johan. Sagittarius D.

B

PRÆ



PRECATIO PHILIPPI
MELANCHTHONIS, EX EPI-

grammate ejus Latino, (quod extat lib.

4. N. 7.) pietatis & officii causa, nunc in honorem
ac memoriam harum nuptiarum, Græcè

facta per M. Johannem Ursi-

num senem, scholæ Ser-

vestanæ prorecto-

rem.

TE, Deus, ut castam mentem nos esse sciamus,
Condemnat flammæ Lex tua sancta vagas.
Conjugii sancis sanctissima fœdera casti,
Idq; tuum patrio more tueris opus.
Non vis obscenæ regnare libidinis æstus,
Vis Ecclesiolam quamlibet esse domum.
Omnibus hoc toto decretum gentibus orbe,
Declaras pœnis tristibus esse ratum.
Quis neget at fœdus tibi connubiale probari,
Quod videt auxilio non nisi stare tuo?
Felices, memoresq; Dei, propriæq; salutis,
Qui thalami legem conjugialis amant.
His etiam nostris faveas, Pater optime, Sponsis,
Quem suadet pietas, da bona fata toro.
Custus ut es, casto sic sis Deus æquus amori,
Fac tua sint Sponsis gaudia firma novis.
Jesu, noster amor, votis ardentibus oro,
Sint curæ thalami jura salusq; tibi.
Ut monitis, quali simus tibi fœdere juncti,
Conjugibus sit mens una, sit unus amor.

¶ Jæd,

ὦ θεός, ὃφρ' ἀγνὴν εἶναι φρένα σαυτὸν ἰδὼν μιν,
Πυρρὸς τοι ἀλαστος κατέγνω νόμος.
Συζυγίας κυρτὸς ἀγνώσται ὄρεκα ἀγνῆς,
καὶ πατρὶω τηρεῖς ἕτό σ' ἔργμα ἔθ'·
οὐκ ἐθέλεις ἀίχρ' ἀν βασιλεύειν ἠδὲ πᾶσιν,
Ἡγάθειον δὲ θέλεις πᾶν δόμα, ναὸν ἔμιν.
καὶ βέλημα τόδ' ἐν γαίᾳ ὅλη ἱφί βέβαιον
τίσι θεοῖσιν ἐκδηλοῖς ἔθνεσι πᾶσιν ἄχθ.
τίσδ' αὖ φαίη, σοὶ ἀπαρέσκεν σύζυγον δεθμόν,
ὃν βλέπῃ εἰ σῆναι εἰ μὴ ἀρ' ἀλκί σέθεν;
ὦ μάκαρες, θεῖστε ὁμῶς, ἰδίας ἰ ἀλεωρῶς
μνήμονες, οἱ γαμικῶ θεσμῶ φιλεῖσι λέχθ.
Ἄωσε πάτερ, καὶ ἴωδ' ἡμῶν σύμπραττε γάμωγε,
Ὀλβια δὸς κοίτη, ἣν πίθην ὄσε βέα.
ἀγνὸς ἐὼν, ἀγνώ ἐπιφκῆς ἔασο ἔρωτι,
Γινέσθω σαθερὸν σύζυγι χάσμα νέω.
Χρῖστε, σὺ ἡμέτερο θεοῖσιν ἔρωσ, καυσώδεσιν αἰτῶ
εὐχολαῖς, θεσμῶν σοὶ ὀφέλθσ τε μέλοι,
ὡς νοέσσι, τίν' ἐξέζας σοὶ δέσματι ἡμᾶς,
Συζυγέεσσι, μία φρὴν ἔη, εἴσ τε ἔρωσ.

AD LECTOREM.

Δεσμὸς ἐπεὶ Φιλίας καὶ μοίρας ἰρὸς ἀπαίτῃ
καμέ γέρον ἰ ἀδειν τῶδε μέλθ ἡ γάμω,
λίξῃοισι λιπεῖν χρῆ μειρακιώδη, ἐμῶ δὲ,
ὡς πρέπῃ, ἡλικία ἄρμενα ἴηδε γράφθ.
Ὅν δὴ ὀδηγὸν ἔχω μελετάων ἄλλοτε, τηρῶν,
ἐννοίας αὐτῆ, ρητά τε βλαβέως,
ἴετ' ἀγνὸν ἐφαρμόσασαι ὀπίγραμμα παρῆσθ
συγαμία, σεμνὸν μηδένα δῆτα βλαβεῖ.

ἰωάν. ἀρχ.

B 2

EPI



EPITHALAMION, &c.

IN VIRVLENTAM IRO-
NIAM ROBERTI BELLAR-

mini, quâ conjugatos in Ecclesiis

Evangelicis pungit, tom. 1. pag. 1905.

in 7. controversiæ præfa-
tione.

Verba sic habent:

Inanes (inquit) scilicet vigiliæ, jejunia, solitudines, humi-
cubationes, horridi sacci, assidua cum Dæmonibus
bella sanctorum anachoretarum fuerunt, quoniam
sine tot laboribus & sudoribus Lutherani quiescen-
tes domi *in uxorcule sinu & complexu* benè pasti
beneq; poti cœlum rapiunt, & æquè sancti ac justi
sunt atq; ipsa virgo Maria, cæteri q; divi, quantum-
vis magni.

Hendecasyllabum.

Quid fratercule, magne Cardinalis,
Roberte, Aufonii columna mōstri,
Jhova connubii optimum institutum
Tam nigro sale perfricas petulcus?
Ohe, ganeo nugivende, semper

Ample-

Amplexus liciti tori manebunt,
Cum te commeritus peruret Orcus,
Fulcrum Pontificis throno ruentis.
Sed pungis vitium licentiamq;
Lascivam? minimè probamus ipsi
Cultores Veneris, cutisq; fœdos,
Et non assiduè Deum colentes.
Immò conjugium improbus Sophista
Vellicas, petulansq; tu cachinno
Pravè te melioribus maritis
Non prorsus vetitū exprobras calorem,
Et præfers monachos, monasticesq;
Spectra & frigora, tetricosq; mores.
O matris lepidum caput jubarq;
Romæ, punicea infulaq; dignum.
Qualis relligio insitis eremo est?
Num quod summa jubet stupenda Legis
(*Jhorvam*, deinde homines ama ut tei-
Tantillum facit horridi colonus (psum)
Antri solivagus? quis optimorum
Sic vixit pietate? num magistri
Christi est hæc imitatio? angelorum
Num talis schola sancta? num beatis .

B 3

Hæc

Hæc est æthere vita gloriosa?

Quis carnem cruciare & enecare

Hoc pacto Deus imperavit unquam?

O stultam sapientiam papistæ.

Porro legitimo sinu toroq;

Uxorem placidè fovere sanctis

Integro licuit Dei timore.

Sanctè sanctus Adamus arsit Hevam,

Sara delictum pio Abrahamo,

Jitzchak cumq; sua bonus Rebecca

Lusit, incola Rachelis Jacobus,

Moses nocte Sinam nec ambulavit

Omni, David amore conjugali

Cum plena pietate plenus arsit.

Gaudiis quoq; nuptiarum adesse

Num Christo opprobriū fuit timendū?

Qua tu fronte, superbe Jesuita,

Impuri capitolii sacerdos

Legis, si legis, intimos amores,

Et sponsalia, & osculum Jehovæ,

Nuptiasq;, cupidinemq; miram?

(Tam suum placet optimo institutum)

Ride Bardocuculle, quæso ride

Si

Si quando libet. Ipse Paulus omni
Nos orare jubens die atq; nocte,
Et vices statuens precum toriq;
Num cælebs reprehendit atq; rodit,
Quas Deus thalamo indidit videtq;
Non strictis oculis cupiditates?
Immò, si proprium ut fovere corpus
Conjugem licet, immò & imperatum est
Gaudebit licito pius maritus,
Papæ & fulmina strenuasq; bullas
Et fannas monachi, mali Suitæ,
Omnes unius æstimabit assis.
Inunc, maxime Cardinalis, atq;
Canis, conjugium Deo probatum
Morde, si potes, & vale Sophista.

*Samuel Fabricius Islebiensis,
Ecclesia Servestana in templo
vocato ad Nicolaum Dia-
conus faciebat.*

Quis



AD SPONSVM.

IANE, sacratarum cultor doctissime Legum,
Codice quas tradit juris utroq; Themis.
Ecce, tibi Christo dum jungitur auspice virgo,
Dumq; sacrum thalami foedus inire paras.
Acclamare tuis aliquo me carmine tedis,
Atq; torum versu condecorare, rogas.
Debebam fateor: namq; hoc illa exigit, annis
A teneris inter nos sacra culta fides,
Illa fides inquam, qua mutuis inter utrumq;
Pectora sincerè consociavit amor.
Sed nisi materiem mihi carminis ipse ministros,
Sponse, tuis precibus non locus ullus erit.
Me forsàn rides, ut opinor, sicq; facetè,
Ceu minùs ex animo sint ea dicta, capis.
Ac si materià nimium locuplete scaterem
Ex hac connubii nobilitate tui.

An me vis Soceri laudes cantare, meisq;
Versibus ipsius dicere dona cupis?

Quæis

Queis animos mirà præfractos arte retundit,
Queis flectit saxo pectora dura magis.
Queis mentes scelerum prægrandi mole suorum
Attonitas veniæ spe relevare solet.
Vellem equidem, si tanta foret vis, atq; favorem
Ausis præstaret Phœbus Apollo meis.
Sed quia Castalium nec spirant pectora nectar,
Parcius & Clario sunt labra tincta lacu.
Haud tantas possum describere carmine dotes,
Tanta negant humeri pondera ferre mei.
Scilicet Ulriacæ splendens facundia Suadæ
Digna est magnifico ritè labore cani.

An ergò dotes Sponsæ memorabo celebres,
Quas habet ipsa intus, quas habet ipsa foris.
Vellem equidem: verùm has alii dixere, quis ergò
Jam repeti, quæ sunt dicta, subinde velit?
Quin neq; eas venâ complecti paupere possim,
Ingenii fuerit divitis iste labor.
Et verear nimium, præconia singula laudum
Ordine dum videor commemorasse mihi;
Ne vel præcipuas videar tacuisse legenti,
Judicer & multas præteruisse nimis.

C

Ipsa

*Ipsa tibi Sponso virtutes, ipsa probabit,
Dum junget saluos vos Deus atq; dies.*

*Ante vis laudem? tua nota modestia laudes
Non amat, ut, laudem, queis merearis, amas.*

*Quare jam vacuam chartamq; repono stylumq;
Tu nisi materiem carminis ipse dabis.*

*Interea dextram cessanti jam addere plura
Auriculam vellunt Juno Venusq; miki.*

*Menseis ter ternos simul expectare jubentes,
Materiem spondent carminis ecce novam.*

*Sed qua materies sit carminis ista futura,
En dicam: verum, dicere nolo palam.*

*Tu vir FANE esto, tua sed virgo esse recuset
Virgo, quod ipsa tori lex veneranda jubet.*

*Huic si parebis, ceu fas parere, parabis,
Hoc qua destituor tempore, materiem.*

*Immò materiem caeloq; Deoq; favente,
Tunc Elegis pariet Magdalis ipsa meis.*

*Dicere quam possem tibi: sed compesco labellum
Et taceo.*

*Petrus à Jhena Servesta-Anhaltinus
Scholæ patriæ Hypodidascalus.*

Ejus-

EIUSDEM
VOTUM NUPTIALE.

MAGDALIS HAMELIO felici sidere nubit,
Tu, queso, Sponsis, CHRISTE, fa' vetopius:
Pacatum concede torum, concede feracem,
Multus ut inde Soli cultor eatq; Poli.



Parodiæ in duas Horatii Odas: unam quidem lib. 3. Carm. Od. 26. alteram vero ejusdem lib. od. 12. honoribus nuptiarum dicatæ.

SPONSI.

VIxti Camœnis nuper idoneus,
Et militasti liberior modò,
Nunc (miror) his pauxillum omiſſis,
Sponse, sub imperio es puellæ;
Quam non propago, non facies decens,
Et grata celo non pietas tegunt:
Ergò illius non fortuitos
Ex animo tibi grator ignes.

O qui

O qui beatam, CHRISTE, tenes poli
Domum, carentem tristitiâ soli,
Da, lectus amborum jugali
Ne sine lætitiâ exigatur.

SPONSÆ.

Miserarum est, neq; amori dare ludum,
Neq; dulcis bona vitæ capere: aut ex-
animari metuentis hymenæi mala casti.
Tibi curam eximit hujus Deus autor,
Tibi vitæ benefuadum socialis (*Hæmeli:*
Stadium, ò *Magdalis*, addit studiosi nitor
Is honestus meliori fatus ortu
Neq; lento neq; segni pede pergens,
Operosè vigilando posuit tempus in arte:
Catus idem per aperta est spaciatus
Sinuosi meditando loca juris;
Celer atq; hinc opem amicam patriæ con-
feret olim.

M. Martino Viertelero
Cöthen-Anhaltino.

ALI-



ALIVD.

Ambigo, quid faciam? vestras, vestrumq; Parentum
Versibus exiguis num claras ire juvabit
Per laudes, longo num pompas ordine dicam
Solennes, mihi longè exoptatissime Sponse?
Hoc verùm committam aliis, nec eò mea currit
Vena: illi memorent vobis praconia laudum:
Ast ego, vota magis sequar, unum ac prafero multis
Votum versiculis, flectuntur Numina votis.

Ergò Deus, casti qui fautor & autor, adesto.
Es thalami, qui primùm utriusq; exordia sexus
Nigrà duxisti ex terrà sub luminis auras,
Et binos unire animos, & jungere binas
Perpetuo (mirum!) sanxisti fœdere dextras,
Scilicet humanum genus ut crescendo per annos
Longos, fœcundo compleret semine terras,
Qui te cœlorum Regem, Dominumq; Deumq;
Mirandum platen celebrent, mirentur, adorent.

Tu quoq; ades, magni veneranda, & vera Parentis
Progenies, fusum patrio de lumine lumen,
Christe, Deus pariter qui diceris, unus homoq;:
Quem Cana presentem Galileis finibus olim
Vidit, & obstupuit thalamis, cum divite dono
Clareres, versi liquido de fonte Lyæi.
Te decet imprimis sociales visere tedas,
Fœderis argumenta tui, qui fœdere cœtum
AEqualem tibi consocias tua verba professum.

*Et tu, sancte Dei Flatus, vis flammea caeli,
Caste Deus, casti defendas vincula lecti,
Ne qua mali species puros perturbet amores
Hosce novos, Fato natos, caeloq; secundo.
Sint ergo procul hinc lemures, Circesq; sorores,
Nocturnaq; Striges, virosa cedite lingua,
Quis thalamum uitare labor, procul emulus absit
Omnis, sacra ti perturbans gaudia lecti.*

*Aurea sed vigeat pax, & Concordia, primum
Emineat pietas, haec murus aheneus esto,
Hac bene munitis sic vobis cuncta manebunt
Salva, nec ad vestras accedent tristia sedes.
Exulet à vestris tadis Discordia, vobis
Adsit verus æq; sed æq; fera quam procul absit,
Atq; ita felices ducatis Nestoris annos.
Hoc trinum vobis concedat Numen, & unum,
Hæc precor; hisce Deus feliciter annue votis.*

Non tam moris, quam amoris
ergo accinebam amico
meo exoptatissimo

Valentinus Simon
Sac. Th. Stud.



V O T V M N V =
P T I A L E.

L Audum alius peragat Sponsi praconia versu,
Et canat ingenii dotes, & pectoris amplas,
Artibus

Artibus exculti, sacrarum & dogmate legum:
Nuptæ alius formam celebret, moresq; pudicos,
Majoresq; omni virtutes laude parentis,
Et non indignam tam claro conjugem matrem,
Quem non deficiunt Musæ, non autor Apollo
Carminis, ipse negat promptas ad carmina vires.
Ast ego naturaq; parum, minus arteq; pollens,
Vota feram, gemmis, auri potiora metallo,
Quod fossis Ophire, quas colligit Indus in undis.
Vota movent superos: patulâ Deus aure rogantû
Vota precesq; bibit, conceptas pectore sancto.
Sit tibi, Sponse, precor mens sana in corpore sano:
Tot sine nube dies, quot campis gramina florent:
Vivite felices: divino vivite tuti
Numine, sit vobis precor hoc fortissima turris.
Vivite concordés; nisi mors nil solvat amantes:
Una dies vos, una fides simul auferat ambos.
Eventura precor, votis Deus annuit æquis,
Qui precibus pronas, qui votis applicat aures.

Caspar Sigismundus Bersmanus
in significatione studii &
observantiæ E.

Quis

Quis non ter, quater atq;, te beatum,
O JANE optime, Juris Utriusq;
Cultor, prædicet, evehetq; laude?
Quòd sacrum sociale jam paranti,
Autor Connubii J E H O V A talem
Adjungit tibi miro amore Sponsam,
Confortem, & sociam tori fidelem,
Est quæ Virgo Parentis educata
Tanti, Matris item polita cura:

Quæ virtutibus aucta, cincta, multis,
Manfuetudine, diligentiaq;,
Et rarâ pietate, castitate
Et si quæ similes cluent, abundè,
His est omnibus ista prædita una.

Qualis Lucifer unus inter omnes
Effundit radio micante stellas
Lumen: seu rosa qualis inter herbas
Insigni emicat ore, flore, odore:
Talis hæc tua, docte Sponse, Sponsa
Cæteras micat inter & puellas,
Et virtute, Dei sacroq; cultu,
Et candore animi, modestiaq;

Et si-

Et fide quoq; nemini secunda .

FELIX sorte tuâ es, manesq; IANE:
Nam vitæ sociam tibi, ac laborum,
Talem IHOVA DEVS dedit puellam,
Quæ cunctis habeat bonis Parentem
Carum, quem prohibent perire Musæ
Dignum laude virum: sed illum in astra
Extollunt, celebrântq;, nominisq;
Virtutis propriæq; honore clarum,
ANHALTI domui, DVCIq; carum.
Quòd Sacrata pius colit, tenêtq;
Sacri oracula Spiritus, DEI & quòd
Oves pascit Episcopus fidelis:
Errores temerarios, vagôsq;,
Quos mandare libris voluminosis,
Scabris Corticibûsq; veritatis
Hostes innumeri solent, disertè
Non taxando modò, vel arguendo:
Verùm & perspicuè, benè, & rotundè,
Horum dicta dolôsq; detegendo.

Quid majus tibi, vel magè appetèdû?
Quid magè hîc tibi & orbe in universo,
A summo poterat dari IEHOVA?

D

Quis

Quis non ter, quater atq; te beatum,
O JANE optime, Juris Utriûsq;
Cultor, prædicet, evehatq; laude?

Abrahamus Theopoldus Serueftanus.



Nuper ubi JANO fatali sorte Parentem
Sustulerat Lachesis perniciofa senem:
Exemplò nimiû volvens sub corde dolorem:
Mœstitia noctes signa diesq; dedit.
Pòst animo reputans, ac plurima mente volutans,
Consilium tandem providus ipse capit,
Quid sibi post Patris faciendum funera restet?
Tempora vel vitæ quo peragenda modo?
Dumq; sedet, mentemq; novo mœrore fatigat,
Ipsius ante oculos en Cytherea venit!
Constitit, ac multis solari tristia dictis
Corda volens, juvenem talibus alloquitur:
Pone metum, juvenis! diuturnas abjice curas:
Et te cur animo non juvet esse bono?
Sit licet ipse Parens inopinâ morte peremptus,
Non tamen in terras hasce redire potest.
Pone metum, tristemq; animum nunc exue: curis
Inventa est etenim grata medela tuis.

Sunt

Sunt mihi complureis prestanti corpore Nymphæ,
Hic ubi SERVESTÆ mœnia culta vigent.
Quarum quæ reliquas superat virtute puellas
MAGDALIS, & sanctæ laude pudicitie;
Hanc tibi connubio jungam, propriamq; dicabo:
Scilicet hæc thalamum scandet, JANÆ, tuum.
Tu (parens dicto sis) quando aurora reducet
Matutina citis lumina Solis equis;
Tunc exurge, Deumq; tuum reverenter adora,
Ut velit hic cœptis fautor adesse tuis.
Dein placido gressu subito te confer ad ædes,
MAGDALIS excellens hic ubi virgo viget.
Cujus ubi fuerit tibi copia facta videndi,
Protinus accedens dicta benigna dabis.
Mox aderit Deus ipse tibi cum Numine dîo,
Corda maritali saucia amore ligans.
Sic ait: Ast juvenem, cujus dolor antè tenebat
Pectora, jam subito gaudia multa tenent.
Nec mora, nec requies, dictas petit ocyùs ædes,
Mox & in aspectum virginis ipse venit:
Cui multam dicens iterumq; iterumq; salutem,
Auspiciis letis mitia dicta dedit.
Tunc virgo aspiciens juvenem formosa superbum,
Ejus in intuitu lumina fixa tenet:

D 2

Dumq;

*Dumq̄, oculos pascens, oculis hinc inde pererrat,
Mutua mox praesens corda Jehova ligat.
Corda ligat, castos & sic immittit amores,
Optime Sponse tibi, Sponsa pudica tibi.
Hanc igitur nunc, Sponse, tuã cõplectere Sponsam:
Tu verò Sponsum, Sponsa pudica, tuum.
Semper ut unanimes maneant in amore jugali,
Et sensus vestri, & pectora vestra, precor.
Cedat Eris: cedat Stygio cum Demone quicquid
Huic unquam vestro possit obesse toro.
Deniq̄, votorum summa hæc sit, JANE, meorum:
Vivite Mathusale secula longa senis.*

Moris & honoris ergò
deproperabam

Abrahamus Ulricus Serve-
sta-Anhaltinus, Pietatis
atq; Artium Studio-
sus.

F I N I S.

Nr 3027.

8

ULB Halle 3
002 804 379




77 → 01


VJ 77

Retros ✓

M







HONORI ET CELEBRITATI
NUPTIARUM ORNATISS.
DOCTISSIMIq; JUVENIS,
DN. IOHAN-
NIS HAMELII, LL. STV-
diosi, ducentis in matrimo-
nium
*Virginem honestissimam pudicif-
simamq;*
MAGDALE NAM.
Reverendi & Clariss. Viri
M. CASPARIS HULDERICHI,
Pastoris & antistitis Ecclesiæ apud Ser-
vestanos, atq; illustris Gymnasii Pro-
fessoris & Inspectoris di-
gniss. F.
*Carmina fausta & felicisq; appreciationis
ergò nuncupata à collegis, amicis, & discipulis,
quorum suum cuiusq; versibus nomen
est adscriptum.*
Servestæ, typis Zachariæ Dörfferi, Anno 1610.